



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. I. Vtrùm Deus & proximus eadem caritate amentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

multò probabilius, & videtur cõmunior Theologorum sensus, eumq; vtilem supponit Suarez disp. 2. de Reuiviscen. meritorum sect. 3. n. 50. Et ratio est, quia actus non potest esse perfectior ipsa potentia: cum igitur habitus caritatis respectu amoris beatifici habeat se per modum potentia, Beatus non poterit elicere perfectiorem actum ipso habitu. Et confirmatur, quia sicut habitus caritatis in intensione ibi correspondet lumini gloriæ, ita actus caritatis respondet visioni beatificæ: atqui hæc visio non est intensior lumine gloriæ: ergo nec actus caritatis est intensior suo habitu.

CONCLUSIO II. Multò probabilius est aliquos hic in terris habere actus caritatis longè intensiores quàm habeant multi Beati. Sequitur ex dictis.

quitur aperte ex dictis: nam, ut ostendi sup. disp. 22. dub. 6. concl. 2. Beati in calis non habent intensiorem habitualem caritatem quàm habuerint hic in terris: cum igitur hic multi habuerint caritatem parum intentam ut infantes qui statim à baptismo moriuntur, & contra cum multi Sancti hic eliciant actus caritatis valde intensos, sequitur hos hic elicere actus intensiores, quàm isti ibi eliciant: & suppositis suprà dictis, nullum est argumentum, quod contrariū probet, Et qui contrarium tenentur ferè fuerunt decepti, quòd non distinguere inter perfectionem caritatis appetitiuam & intentiuam.

Disputant hic præterea aliqui utrùm actus amoris Dei possit vitari: sed id fieri non posse, satis patet ex dictis disp. 4. dub. 3.

DISPUTATIO XXIV.

De obiectis materialibus caritatis, & obligatione ea diligendi.

Disp. 21. dub. 2. egi de obiecto formali ipsius caritatis, & ostendi id esse ipsam Dei bonitatem, qua in se infinitè bonus est. iam verò agam de obiecto materiali, siue de ijs, quæ propter Deum diligenda sunt: nam ipsum propter seipsum diligendū esse dicto dubio satis ostendi. Quenam autem illa sint quæ ex caritate diligenda sunt, fuse explicat D. Thom. 2. 2. q. 25. & generatim dici potest omnem creaturam rationalem capacem æternæ gloriæ, siue quæ nondum æternæ damnationi addicta est, sic debere diligi, ita vtili hanc gloriæ optemus, & quantum in nobis est procuremus. Aditque D. Thom. etiam creaturas quasdam irrationales ex caritate diligi, quatenus ad nostrā beatitudinem aut Dei gloriam conferunt; hæc tamen nequeunt diligi amore amicitia, quia eius incapaces sunt. quare etsi amor, quo eas Deo aut proximo optamus, respectu horum habeat rationem amicitia; non tamen respectu illarum. Quæ satis clara sunt, & solū sunt quædam difficultates circa modum & obligationem illa diligendi, quas sequentibus dubijs explicabimus.

D V B I V M I.

Vtrum Deus & proximus eadem caritate amantur?

TRiplex hic est difficultas. Prima, utrū habitualis caritas quatenus se extendit ad amorem Dei & proximi, sit vna simplex virtus. Videtur enim non esse: Primò, quia alius est habitus, quo cognoscuntur principia, & alius, quo cognoscitur conclusio; ergo similiter diuersa est caritas qua amatur Deus, ab ea qua proximus amatur. Secundò, quia cultus Dei & cultus Sanctorum proficiuntur à diuersis habitibus: ergo etiam amor Dei & proximi.

Secunda difficultas est, utrū actus amoris

Coninck de act. supernat.

Dei & proximi, quando hic amatur purè propter Deum, sint eiusdem speciei. Videtur enim quòd sic: Primò, quia habent idem obiectum formale, scilicet bonitatem Dei; Secundò, quia actus fidei quo credo Deum esse trinū, & alius quo credo fuisse duodecim Apostolos, sunt eiusdem speciei: ergo similiter actus caritatis in Deum & proximum.

Tertia difficultas est, utrū amor, quo amo proximū propter Deum, respectu proximi habeat veram rationem amicitia. Quidam id affirmant, quia iusti ex caritate volunt sibi mutuo beatitudinē, quatenus eis bona est, & quantum possunt vnus alteri eam procurat: ergo ipsi amant se amore amicitia. Ita Bañez 2. 2. q. 23. a. 5.

Nota, proximum quadrupliciter amari posse, scilicet tripliciter cum aliquo respectu ad Deum, & quartò sine eiusmodi respectu. Primò igitur proximus amari potest quatenus est quædam res & bonum extrinsecum ipsius Dei ad eius gloriam spectans; sicut amatur medium propter finem, & mancipium amici propter amicum, siue quia huic vtile est. Cum enim hominum bonitas, iustitia & beatitudo cedant etiam in honorem Dei, quatenus eius perfectio & bonitas ex illis magis innotescunt; sequitur, illa esse vtilia ad Dei excellentiam ac bonitatē ostendendam, atque adeò ad illius honorem promouendum: vnde illa ob gloriam & bonum quoddam Dei extrinsecum possumus amare.

Secundò, quatenus diuina bonitas à proximo participatur, eumque afficit, & in eo elucet, atque ita eum amabilem reddit. Et hac ratione ferè eodem modo amamus proximū, præsertim iustum propter Deum, quo amamus filios aut fratres amici propter amicum, quia iustus est verè filius Dei. Peccatores autem etiam hoc modo amamus, quia, etsi actu non sint filij Dei, tamen sunt tales potentia, & quantum est ex Dei antecedente voluntate & destinatione,

R r a qui

Bañez.

2 Proximus potest quadrupliciter amari.

qui ideo eos creauit & redemit, ut filij Dei sint, & in hunc finem ex parte sua sufficientem ipsi gratiam confert, qua tales esse possint, si velint.

4 Tertiò, possumus moueri ad aliquem amandum quia à Deo amatur, siue amore speciali, quo iustos amat; siue generali, quo omnes homines vult saluos fieri, idque tanto affectu, ut in hunc finem sanguinem suum fuderit. Amicitia enim sicut efficit amicos vnanimis siue vnus voluntatis, ut dixi disput. 21. numer. 29. ita efficit ut quidquid vnus amat, alter etiam amet: quod videmus etiam inter homines fieri: nam eos, quos videmus amari ab eo quem valde amamus, ideo etiam amamus, etsi aliàs eos auerteremur, ut notat D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8. in fine corporis.

Amicitia nos inducit ut amemus quidquid amicus amat.

D. Thomas.

5 Potest autem hoc duobus modis fieri. Primò, ita ut amor Dei immediatè voluntatem meam inclinet ut proximum amem non respiciendo an ipse secundum se sit dignus amore nec ne, sed præcisè quia scio Deo, qui tantum eum amat, placere ut eum etiam amem. Et hic amor ad primum modum spectat: nam sic amo proximum quatenus est quoddam bonum Dei siue Deo charum, & ideo ei volo bonum, quia hoc placet Deo, & ita in eius bonum cedit. Secundò, ita ut amor Dei immediatè moueat meam apprehensionem ut apprehendam proximum dignum amore: sicut enim amor efficit ut amicum magnificiam, ita etiam efficit ut magnificiam ac digna amore æstimem ea quæ ipse magni facit & amat: quare cum videt Deum amans videat eum tanti homines facere, ut velit eos adoptare in filios, & ad hoc efficiendum voluerit pro ipsis mori; non potest fieri quin magni eos faciat, ac consequenter amet. Et hic modus amandi à prioribus omnino distinguitur.

Amor amici dupliciter me mouet ut amem eos, quos ipse amat, scilicet vel immediatè vel mediatè.

6 Quartò, possum proximum amare præcisè propter intrinsecam suam bonitatem, siue naturalem siue supernaturalem, sine respectu ad alia: quaratione communiter amicos solemus amare.

His posset addi quintus modus, quo diligimus proximum præcisè quia Deus hoc præcipit, siue ut satisficiamus præceptis Dei: sed patet hunc actum nullo modo habere rationem caritatis, sed obedientia.

7 **CONCLUSIO I.** Eadem caritas ut est virtus theologica, nos tribus prioribus modis inclinat ad amorem proximi; duosque primos actus immediatè per se elicit: tertius autem potest ab habitu distincto elici. Hæc est communis Doctorum, etsi hos modos non ita exactè distinguant.

De primo modo probatur: quia idem habitus inclinat ad amorem finis & mediorum, & vtrumque actum immediatè elicit: atqui dictus amor proximi respectu amoris Dei habet se tanquam amor medijs respectu amoris finis: ergo vterque ab eodem habitu elicitur.

Maiorem omnes concedunt, quia vterque actus ad eandem virtutem pertinet, & efficax intentio finis virtute continet electionem medij. Minor probatur, quia, sicut eligens amat

Deus & proximus quâdoque eodem, quandoque distincto habitu amantur.

medium quatenus est vile ad obtinendum finem, ita amans dicto modo proximum optat ei bonum quatenus hoc est vile ad Dei gloriam ac bonum promouendum. Probatur Secundò, quia caritas Dei inclinat nos ad optandum & procurandum omne bonum Dei: atqui bonum proximi est dicta ratione aliquod bonum Dei: ergo caritas Dei inclinat nos ad id amandum.

De secundo probatur: quia virtus inclinans ad amorè alicuius boni, inclinat ad illud amandum vbicumque illud reperiatur, siue in proprio subiecto siue in alio: atqui bonitas Dei reperitur in omni proximo nostro, eumque afficit ac amabilem reddit, iuxta modos dictos n. 3. ergo caritas Dei inclinat ut eum hoc modo amemus. Confirmatur inductione, quia amor castitatis inclinat suum subiectum ad amandum omnes castos quia tales; & amor iustitiæ ad amandos omnes iustos; reuerentia in Christum ad honorandum ipsum vicarium, ac imagines; amor amici ad amandum eius filios; amor naturalis nostri inducit parentes ut ament se ipsos in filiis: & vtrique actus ab eodem habitu produciuntur: ergo similiter caritas Dei inclinat ad talem amorem proximi eumque producit.

Confirmatur conclusio Secundò, tam de hoc amore quàm de præcedente. Quia actus, qui habent idem obiectum formale vltimum, siue quo primò & per se potentia ad agendum mouetur, produciuntur ab eodem habitu, si vterque sit naturalis aut supernaturalis, ut patet in electione medijs & intentione finis: atqui dicti amores proximi habent eo modo idem obiectum formale cum amore ipsius Dei, scilicet bonitatem Dei: ergo produciuntur ab eodem habitu.

Quòd autem Dei caritas nos tertio modo inclinet ad amorem proximi, per se patet, quia ad hoc inclinat primò & per se nos inclinando ad amandum Deum, & consecutiuè ad amandos eos quos Deus amat, iuxta modum explicatum n. 5. Quòd autem tunc amor proximi non necessariò eliciatur ab habitu caritatis theologice, patet; quia etsi possum tunc in proximo considerare rationes eum amandi in primo & secundo modo explicatas, tamen hoc non est necessariò, sed possum etià concipere rationes eum amandi concl. 5. explicandas, atque ita eum amare amore omnino distincto à caritate theologica.

CONCLUSIO II. Caritas quatenus nos his tribus modis inclinat ad amandum Deum & proximum, est qualitas omnino simplex, nec habet partes heterogeneas. Hæc videtur communis etiam sententia Theologorum, quia dicunt nos Deum & proximum eadem caritate diligere, sicut eadem fide credimus omnia mysteria fidei, ut patet ex D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 5. Turriano disp. 73. dub. 3. & alijs S. Thomæ interpre-
tibus in eum locum.

Probatur Primò, quia, ut ostendi disput. 16. numero 19. habere partes heterogeneas extensivas ad diuersa obiecta, proprium est habitibus acquisitis, qui ex actibus generantur, & sunt quoddam eorum vestigium; nulloque modo conuenit habitibus infusis, qui se habent

Habitus infusi non habent partes heterogeneas extensivas

habent per modum potentiae; atque ita sicut haec omnino vna & simplex potest se extendere ad diuersos actus, ita etiam habitus infusus.

11. Probatur Secundò, quia quando aliquis habitus habet partes eiusmodi heterogeneas, non omnes acquiruntur simul, sed vna post alias, idque per actus diuersos & sibi mutuo succedentes; & similiter vna pars potest tolli per obliuionem, aut detestationem vnus partialis obiecti, aut simili ratione manente altera: vt patet experientia in scientijs acquisitis, similibusque habitibus; caritas autem tam Dei quam proximi necessariò simul infunditur, nec vna potest tolli manente altera: nam, vt S. Iohan. epist. 1. c. 3. & 4. sapius inculcat, nemo potest amare Deum, nisi etiam amet proximum.

Ad primum argumentum propositum nu. 1. nego consequ. tum ob dictam primarationem huius conclusionis; tum etiam quia intellectus principiorum, & scientia conclusionis, habet obiecta formalia longè magis distincta, quam habeant amor Dei & amor proximi propter Deum; qui se habent sicut intentio & electio, vt infra dicam.

Ad secundum, Respondeo id solum probare quartam nostram conclusionem.

12. Obijcies Primò, Vbi in diuerso actu reperitur noua difficultas, ibi ad eam superandam debet dari nouus habitus, aut prior per partem heterogeneam extendi: atqui in amando proximo reperitur noua difficultas; nam existentes in caritate saepe experiuntur graues difficultates in amando proximo, à quo lesi sunt: ergo ad hoc requiritur nouus habitus, aut saltem extensio praecedentis. Respondeo maiorem solum esse veram in habitibus acquisitis, quorum proprium est facilitare ipsos actus; & consequenter minuire occurrentes difficultates: secus autem esse in habitibus infusis, qui non dantur ad facilitandum actum (vt ostendit disput. 6. dubio 6.) sed praesè vt possimus elicere actum supernaturalem; quare habent se per modum potentiae, quae est vna & simplex respectu omnium suorum actuum.

13. His adde, etiam in habitibus acquisitis tunc solum habitum debere augeri per partem heterogeneam, quando difficultas quae in secundo actu reperitur, nascitur ab intrinseca ratione ipsius actus, vt contingit in cognitionibus diuersarum conclusionum vnus scientiae. Secus autem esse quando illa difficultas solum nascitur ab extrinseco; tunc enim ad hanc superandam non debet prior habitus extendi, sed alterius virtutis habitus debet acquiri. verbi causa, vt aliquis sit liberalis & misericors in pauperes, omnis difficultas, quae nascitur ex nimio amore pecuniarum, debet tolli per virtutem liberalitatis: si verò aliunde nascatur difficultas, vt si ad dandas elemosynas requiratur vt quis parcè viuat & lautitijs abstineat; haec difficultas non debet tolli per extensionem habitus liberalitatis, sed per virtutem temperantiae: idemque est in alijs similibus. Qui autem in se est bene dispositus ad amandum Deum, nullam habet difficultatem vt amet proximum

Coninck de act. supernat.

propter Deum, spectando praesè hunc actum secundum se: ab extrinseco tamen, vt quia à proximo grauius laesus est, aut ab similes causas potest nasci difficultas; sed haec per habitus acquisitos praesertim patientiae, aut per vehementem ac seriam apprehensionem passionis ac patientiae ipsius Christi in cruce pro suis toribus tanto affectu orantis, aut per alias Dei gratias praeuientes facilitanda est.

Obijcies Secundò, Si vnus se saepe exerceat in contemplando & amando Deo in se, alter verò in amando proximum propter Deum, hic acquireret facilitatem maiorem amandi proximum propter Deum, ille amandi Deum in se: ergo ad hos actus dantur diuersi habitus.

Respondeo negando consequentiam, praesertim loquendo de habitibus infusis; quia, vt iam dixi, hi non dantur ad facilitandum actum, quare hoc argumentum vt summum probat, habitum acquisitum per diuersas partes heterogeneas extendi ad hos actus. Quamquam nec hoc satis prober, si loquamur praesè de habitu voluntatis; quia illa diuersa facilitas in vtroque saepe non prouenit ex diuersitate huius habitus, sed ex diuersa dispositione partis inferioris, scilicet imaginatiuae & concupiscibilis. Nam, vt dixi disput. 22. dubio 1. ex frequenti Dei contemplatione in imaginatiua nascitur quaedam facilitas, eum sub modo corporeo apprehendendi, & in appetitu sensitiuo quaedam inclinatio in eum vt sic apprehensum tendendi; quibus actus voluntatis multum facilitatur. Cum igitur aliter apprehendamus Deum vt amabilem in se, aliter in proximo; sequitur ex frequentatione alterutrius actus nasci diuersam apprehensionem in imaginatiua, & inclinationem in appetitiua; & consequenter diuersam facilitatem in voluntate. Hinc videmus eos, qui saepe & diligenter se exercent in sibi representando ac contemplando Christo crucifixo, aut iacente in praesepio, aut veniente ad iudicium, visa eiusmodi imagine statim excitari ad similes affectus, quales in meditando senserunt. Ex quibus etiam utilitas tum eiusmodi exercitij, tum etiam vsus imaginum clare probatur.

CONCLUSIO III. Actus, quo primo modo amo proximum propter Deum, est diuersae speciei ab eo quo amo Deum in se. Ita Lorca 2.2. sect. 3. disput. 24. num. 11. vbi ait eos essentialiter differre, & clarius disput. 26. num. 9. & alij. Probatur, quia hic amor proximi respectu amoris Dei in se, habet se sicut electio medij respectu intentionis finis: atqui hi actus sunt diuersae speciei: ergo & illi. Minor probatur, nam intentio pro suo obiecto formali immediatè habet bonitatem ipsius finis; electio verò utilitatem medij ad finem, & solum mediare bonitatem ipsius finis: eligens enim aliquod medium immediatè illud amat quia vtile est ad finem acquirendum, & hoc actu praesè solum implicite & consecutiue amat bonitatem finis in se consideratam: dictae autem rationes formales sunt absolute diuersae. Et simili modo amor quo dicto modo amo proximum propter Deum, pro suo obiecto formali immediatè

15. amo proximum propter Deum, est diuersae speciei ab eo quo amo Deum in se. Ita Lorca 2.2. sect. 3. disput. 24. num. 11. vbi ait eos essentialiter differre, & clarius disput. 26. num. 9. & alij. Probatur, quia hic amor proximi respectu amoris Dei in se, habet se sicut electio medij respectu intentionis finis: atqui hi actus sunt diuersae speciei: ergo & illi. Minor probatur, nam intentio pro suo obiecto formali immediatè habet bonitatem ipsius finis; electio verò utilitatem medij ad finem, & solum mediare bonitatem ipsius finis: eligens enim aliquod medium immediatè illud amat quia vtile est ad finem acquirendum, & hoc actu praesè solum implicite & consecutiue amat bonitatem finis in se consideratam: dictae autem rationes formales sunt absolute diuersae. Et simili modo amor quo dicto modo amo proximum propter Deum, pro suo obiecto formali immediatè

Lorca.

Intentio finis & electio medij habet obiecta formalia immediata distincta.

R 3 habet

habet bonitatem proximi quatenus utilis est ad gloriam Dei promouendam, siue hanc ipsam utilitatem; & bonitas Dei in se spectata hoc præcisè actui solum implicite & consecutivè amatur. Ex quo etiam patet maior nostri syllogismi. Cum igitur actus habentes diuersa obiecta formalia sint necessariò diuersæ speciei, apertè sequitur, dictos actus esse diuersæ speciei.

16
D. Thomas. Nec his obstat quòd D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 1. dicat dictos amores esse eiusdem speciei; quia hoc intelligendum est secundum rationem quam adfert, scilicet quatenus habent idem obiectum formale. quare cum, sicut iam ostendi, hic amor proximi non habeat idem obiectum formale immediatum cum amore Dei in se; nec etiam habeat eandem speciem proximitatis, sed solum remotam, aut in genere moris & bonitatis. Adde, D. Thomam propriè non loqui de primo modo amandi proximum, sed de secundo, ut patet ex eius responsionibus ad argumenta.

Ad primum argumentum contrarium positum n. 1. negandum est assumptum, ut patet ex dictis.

Ad secundum, nego consequentiam. quia omnes assensus fidei theologicæ habent omnino idem obiectum formale: secus est de dictis actibus, ut iam ostendi.

17
D. Thom. CONCLUSIO IV. Amor quo proximus amatur secundo modo propter Deum, et si fortè nō differat specie ab amore, quo Deus in se amatur (quia uterq; hic actus videtur habere idem obiectum formale immediatū solum diuersimodè consideratum) tamen est substantialiter diuersus & inferioris gradus. Et hoc saltem modo vera est sententia Lorca supra, qui quoad hanc distinctionem comparat hanc dilectionē proximi priori. Prior pars prob. quia videtur esse D. Thomæ 2. 2. q. 25. a. 1. in corpore. Secunda probatur Primò, quia, ut ostendi supra disp. 23. dub. 3. nu. 17. perfectio appetitiua est actui substantialis, ideoq; hæc variari nequit nisi varietur eius substantia: atqui amor quo amamus Deum in se, est appetitiuè longè perfectior amore, quo eum amamus in proximo, siue quo amamus proximum propter Deum: ergo ille est substantialiter longè perfectior. Minor probatur, quia bonitas Dei in se considerata, longè est maior & perfectior, quam prout consideratur in proximo; & longè etiam aliter eam apprehendimus in Deo, quam in proximo: ergo amor quo amamus Deum in se, est appetitiuè maior eo, quo amamus eum in proximo.

18 Confirm. quia hoc secundo modo similiter amamus Deum in proximo, sicut eum honoramus in suo vicario aut in Sanctis: atqui excellentiore cultu honoramus eum in se quam in suo vicario aut in Sanctis: ergo perfectiore amore amamus eum in se quam in proximo. Maior patet, quia sicut ideo honoramus Deum in vicario & Sanctis, quia eius maiestas in his elucet & tamquam præfens apprehenditur, ita dicto modo amamus eum in proximo, quia eius bonitas in his elucet; & sicut maiore cultu eum prosequi-

mur in his in quibus eius maiestas magis elucet, ita maiore amore eum prosequimur in his in quibus eius bonitas magis elucet. Nec his obstat quod docet D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 1. ad 2. & q. 81. a. 4. ad 3. ubi ait, proximum posse quidem amari eadem caritate, qua amatur Deus, non tamen colli eodem cultu. Quia loquitur de cultu latriæ externo, qui soli Deo adhiberi potest; quia hic per se simpliciter fertur in obiectum præfens cui defertur, nec potest in suo obiecto abstrahere diuersas rationes formales secundum quas diuersimodè in illud feratur, prout fit in actibus internis. Nullibi autè D. Thom. negat nos interno actu posse Deum colere in suis vicariis aut Sanctis; sicut possumus eum in his amare. Alij alias explanationes adferunt, ut patet apud Turrian. 2. 2. disp. 73. dub. 2. sed quæ minus satisfaciunt.

19
CONCLUSIO V. Actus, quo quarto modo amo proximum, nullo modo elicitur à virtute theologica; sed ab habitu virtutis moralis infusæ: quæ caritas seu amicitia proximi dicitur. Ita Valquez in 3. part. tom. 1. disp. 98. cap. 2. Turrian. supra, & Lessius de Iustit. cap. 36. nu. 23. & apertè ipse D. Thom. 2. 2. q. 103. a. 3. ad 2. ubi docet, quòd sicut Sancti ob propriam excellentiam coluntur cultu distincto à latriæ: ita proximum ob proprias sibi quæ intrinsecas perfectiones amari virtute distincta à caritate theologica.

Per se etiam patet, quia, cum hic amor habeat distinctum omnino obiectum à virtute theologica, necessariò debet à distincta virtute proficisci, quia habitus nequit ferri extra suum obiectum formale. Quamvis autem hac ratione præcipuè amemus iustos, possumus tamen etiam ita amare peccatores, quatenus homines sunt ad Dei imaginem creati, & ad beatitudinem ex parte Dei destinari.

20
CONCLUSIO VI. Quartus hic amor est verus amor amicitia sue benevolentia erga proximum. Primus verò nullo modo est amor amicitia erga proximum, sed solum erga Deum; Ita Auctores citati numero 19.

Prior pars per se clara est; quia sic amamus proximum propter suam bonitatem, & optamus ei bonum quatenus ei bonum est, in consistendo: quod est proprium amoris amicitia. Nec refert quòd fortè proximus non redamet nos, quia hoc non obest quin amor, quantum est ex parte nostra, sit verus amor amicitia, et si ob defectum alterius partis non sit inter nos absolutè vera amicitia; quæ mutuum amorem requirit.

21
Secunda pars probatur, quia amicitia requirit ut amico velimus bonum præcisè quia ipsi bonum est: atqui dicto amore optamus proximo bonum, non tam quia ipsi bonum, quam quatenus est Deo bonum: sicut famulis amici optamus bonum quatenus hoc cedit in bonum amici: ergo sicut hic amor non habet rationem amicitia respectu famulorum, sed solum respectu domini, ita nec ille habet rationem amicitia respectu proximi, sed solum respectu Dei.

22

CONCLUSIO VII. Et secundus amor habet maiorem speciem amicitiae erga proximum, atque ita possit latiore modo talis dici, tamen strictè loquendo solum habet veram rationem amicitiae erga Deum. Hic etiam est sensus Auctorum quos citavi nu. 19. quia in solo quarto amore aiunt esse veram amicitiam erga proximum.

Prior pars probatur, quia, cum proximus à tali amante consideretur quasi aliquid vnum cum Deo, amor eius ut habens rationem amicitiae videtur etiam terminari ad ipsum proximum.

Secunda pars probatur, quia ut sit verus amor amicitiae, debeo proximo velle bonum, aut praeiudicium, aut saltem praeiudicium quia ei bonum est; sed praeiudicium amo Dei bonum quia tale, cum tota ratio curill velim bonum, sit ipse Deus, cui eodem actu magis illud ipsum bonum volo, quam ipsi proximo; sicut eo actu magis amo Deum quam proximum.

23 Nullus actus virtutis theologicae habet rationem amicitiae erga proximum. Ex his patet Primò, nullum amorem, qui sit actus virtutis theologicae, habere veram rationem amicitiae erga proximum; sed solum erga Deum, cui per omnem eiusmodi actum primò & praeiudicium bonum volumus, proximo autem solum quatenus hoc simul est bonum Dei. Ita Auctores citati num. 19. atque adeò etiam ipse D. Thom. ubi ait: *Non enim per caritatem diligimus in proximo, nisi Deum.* Scilicet quatenus est virtus theologica, & habet rationem amicitiae, nam quatenus habet rationem amoris concupiscentiae, certum est nos etiam diligere proximum eiusque bonum.

24

Patet Secundò, tertium actum amoris, si tendat in proximum priore modo ex dictis n. 5. proficisci ex virtute theologica, & solum habere rationem amicitiae erga Deum; quia est eiusdem rationis cum primo actu. Si verò secundo modo tendat in proximum, scilicet mediante consideratione bonitatis ei propriae & propter hanc, tunc non est virtus theologica, sed moralis, & vera amicitia erga proximum: quia est eiusdem rationis cum quarto actu.

D V B I V M II.

Qualis Dei dilectio nobis sit praecepta illo Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua?

25

DVplex hic est difficultas: Primò, circa intelligentiam istorum verborum, deinde an hoc praeceptum in hac vita impleri possit.

Circa primum quidam quos tacito nomine citat Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 57. putarunt nullum omnino esse speciale praeceptum diligendi Deum actu interno, sed illo similibusque praeceptis solum nobis praeceptum ut impleamus Dei mandata in decalogo contenta. Videtur autem hoc posse probari Primò, ex Scriptura, quia Christus Io. hann. 14. explicans quid sit diligere Deum ait:

Lorca.

Io. h. 14.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Secundò, quia D. Bernardus serm. 50. in Cantica, explicans illa verba: *Ordinavit in me caritatem.* Est, inquit, caritas in actu, est & in affectu: & de illa quidem, quae operis est, puto datam legem esse hominibus, mandatumque formatum: nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ut meritum, ista ut premium datur. & infra: *Quomodo ergo iubenda sunt, quae implenda nullo modo erant?* Quae fuisse pergit disputare ostendendo illud praeceptum Deuter. 6. non posse hic perfectè impleri; atque ita per illud ostendi quid in altera vita futurum sit.

Bernard.

26

Secunda sententia ita illud praeceptum explicat, ut velis illis verbis non solum internum amoris actum speciatim praeceptum: sed etiam per singula membra diversa siue diversam amoris circumstantiam praeceptum: ita ut per cor, quod in nobis est principium vitae, significetur voluntas, quae est principium omnium liberarum actionum: per mentem verò (quae Marci 12. v. 30. praedictibus additur) significetur intellectus; per animam verò appetitus inferior: per fortitudinem siue virtutem vis executiva siue exterior operatiua. Atque ita dicto loco nobis praeceptum, ut ita Deum amemus, ut tota nostra voluntas siue intentio feratur in Deum; & intellectus, vis appetitiua, ac exterior operatio omni ex parte Deo subdantur, & secundum voluntatem eius reguntur. ita D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 5. Vbi alias varias sanctorum Patrum explicationes adfert, sed quae cum dicta magna ex parte in sensu conveniunt.

Quid cor, mens, anima, virtus, in praecepto caritatis significant. Marc. 12.

D. Thomas.

27

Circa secundam difficultatem D. August. l. de Perfectione iustitiae rationatione 17. videtur sentire hoc praeceptum hic impleri non posse, sed solum in altera vita; quia cum non possimus omnino carere omni peccato veniali ac inordinato amore, non videtur Deum posse diligere ex toto omnino affectu, prout ibi praeceptum. Verba eius sunt: *In qua plenitudine caritatis (quae scilicet erit in patria) praeceptum illud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Nam cum adhuc aliquid est carnalis concupiscentiae, quod vel continendo frenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus, &c. Eum etiam sequitur D. Bernardus citatus n. 25.

August.

Bernard.

28

CONCLUSIO I. Datur speciale praeceptum diligendi Deum actu interno. Probatur Primò, quia est communis sensus Doctorum id tamquam omnino indubitatum asserentium: ut patet apud D. Thom. 2. 2. q. 44. a. 1. quem ibi omnes ipsius interpretes sequuntur. Scot. in 3. d. 27. q. unica a. 3. §. Quantum ad 2. Durand. in 3. d. 37. q. 1. ad 3. Valentia 2. 2. disp. 3. q. 19. puncto 1. Sanchez de Praecept. l. 2. c. 35. Turrian. 2. 2. disp. 97. dub. 1. Lorca sect. 3. disput. 47. ubi plurimos alios citat. Secundò, quia Scriptura saepissime nobis inculcat Deum necessario super omnia diligendum esse, ut Deuter. 6. Matth. 22. & alibi. & quod loquatur de obligatione siue praecepto distincto à ceteris praeceptis decalogi, patet ex Matth. 22. ubi hoc praeceptum vocatur primum & maximum; quod propriè non esset verum, si non esset distinctum à ceteris. Pro

D. Thomas. Scotus. Durand. Valentia. Sanchez. Turrian. Lorca.

Deuter. 6. Matth. 22.

Re 4

quo